S/l Eltern in treuer Liebe u. Dankbarkeit d. Verf.

DE VASCVLIS ROMANORVM RVBRIS

CAPITA SELECTA

SCRIPSIT

IOANNES DRAGENDORFF
LIVONVS

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI, TYPOGR. ACAD.

DE

VASCVLIS ROMANORVM RVBRIS

CAPITA SELECTA

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE X MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCXCIV HORA XI PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

IOANNES DRAGENDORFF
LIVONVS

ADVERSARII ERVNT

IACOBVS MORTON PATON
AVGVSTVS NVTH
AEMILIVS KRVEGER

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, TYPOGR. ACAD.

GEORGIO LOESCHCKE

Quae secuntur selecta sunt capita commentationis amplioris, quam scripsi de vasculis Romanorum rubris. Tota commentatio lingua germanica scripta mox edetur in annalibus societatis antiquitatis studiosorum Rhenanorum (Jahrbuecher des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande), ad quam qui legunt hoc commentariolum delego. Notis hisce usus sum:

C. = Corpus inscriptionum latinarum ab academia regia borussica editum.

B. J. = Bonner Jahrbuecher = Jahrbuecher des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande.

Houben-Fiedler = Houben und Fiedler, Denkmaeler von Castra Vetera, Xanten 1839.

W. Z. = Westdeutsche Zeitschrift.

A. d. J. = Annali dell' Instituto di corrispondenza archeologica.

Cleuziou = de la poterie Gauloise; étude sur la collection Charvet par Henri du Cleuziou Paris 1872.

Vascula rubra, quae vel arretina vel 'terram sigillatam' vel samia nominare consuevimus, ubicunque Romani consederunt in usu fuerunt. Figulorum signacula collecta extant in corporis inscriptionum latinarum voluminibus. In Graecia Asiaque minore adhuc perpauca collecta sunt. Sed his quoque in regionibus ea in usu fuisse nonnulla fragmenta demonstrant a Georgio Loeschcke coacta Argis Athenis Eleusine Rhamnunte Oropi Epidauri Eretriae Deli Troiae inventa, quae mecum benevole communicavit. Olympiae nonnulla eruta esse Adolfus Furtwaengler testatur[1]). Accedunt fragmenta duo vasculorum ornatorum, quorum alterum Parii (in Asia minore) alterum Meli in insula reper-

1) Olympia IV p. 206.

tum est[1]), unum in Chersonneso taurica a. 1869 erutum[2]). Etiam Pergami haud pauca inventa esse dicuntur[3]).

Adhuc ea tantum vasa accuratius persequi possumus, quae in provinciis septentrionalibus occidentalibusque facta inventaque sunt.

Provinciae Gallicae Germanicaeque brevi tempore effloruerunt. Romani ibi consederunt villasque sibi commode instituerunt. Nec mirum, quod vascula consueta ex Italia commercio in provincias delata imitari quoque coeperunt, ut vitarent longam difficilemque fragilium vasorum vecturam. Itaque iam primo saeculo multae extiterunt officinae in provinciis, quae vasis rubris faciendis operam dederunt.

Apud scriptores antiquos sane frustra huius rei testimonia quaeras. Saguntum tantum a Plinio nominatur inter urbes, quae arte figulorum celebrabantur[4]); saguntina vasa etiam Martialis et Iuvenalis memorant[5]), sed genus eorum non describitur nec figlinae antiquae Sagunti repertae vasorum fractorum acervis refertae rem explicant[6]); nam diversorum generum vasa in eis inventa sunt, in quibus etiam vasa e terra sigillata facta, ut discerni non possit, quaenam Plinius Martialis Iuvenalis in animo habuerint.

Plurima vasa rubra fingebantur in Gallia meridionali, multaque officinarum antiquarum rudera detecta sunt Arelate[7]), Nemausi[8]), Montans (Tarn)[9]), Banassac (Lozère)[10]),

1) Gaz. arch. 1880 t. 33, 1. 2.

2) Stephani, Compte rendu 1870, t. V, 11.

3) Quod Ioannes Boehlau cum Georgio Loeschcke communicavit.

4) Hist. nat. 35, 160.

5) Martial. IV, 46. VIII, 6. XIV, 118. Iuven. V, 29.

6) C. II. suppl. p. 1009.

7) Roach-Smith coll. ant. VII, p. 12 sqq.

8) Birch, history of anc. pott. p. 572.

9) Roach-Smith l. c. Gaz. arch. 1877, p. 175 sq.

10) Gaz. arch. l. c.

Lugduni[1]), in Arvernorum urbe[2]), Châtelet[3]), Lézoux (Auvergne)[4]), apud Burdigalam[5]), Parisios, Nancy[6]). Plurimae igitur sitae erant in Gallia meridionali in valle Rhodani Tarnisque et in Arvernorum finibus[7]).

Dolendum est, quod de his inventis non habemus cum cura factas relationes. Qua de causa nec tempus singularum figlinarum accuratius definire possumus nec singulos figulos certo loco attribuere. Paullo accuratior ea sola commentatio est, quam scripsit A. E. Plicque de figlinis ad Lézoux sitis[8]). Septuaginta fere officinas cum 160 fornacibus Plicque repperisse sibi visus est. Sed hac commentatione rem nondum absolvit, accuratiora et diligentiora promittit. Magni momenti est, quod initium figlinarum ibi repertarum aliquatenus definiri potest. Detectum est sepulcretum parvum, cuius quaeque urna cineraria Vespasiani nummum anni 76 tenebat; sepulcra igitur facta sunt post annum 76. Vasa in his sepulcris reperta plane congruunt cum iis, quae infima fragmentorum strues in figlinis ibidem repertis accumulata habebat. Concludendum est circa annum fere 70 figlinas illas conditas esse.

---

1) Birch l. c.

2) Birch l. c.

3) Caumont, cours d'antiquité II p. 211.

4) Brongniart, traité des arts céramiques I p. 444. A. E. Plicque, Étude de céramique arverno-romaine, Caën 1887.

5) Birch l. c. Grivaud, monuments Gauloises p. 138.

6) Grivaud l. c.

7) Ubi plurimae etiam e terra cocta figurae factae sunt. Tudot, bulletin monumental 1857 p. 337 sq. Blanchet, Mém. de la soc. des antiquaires de France 1890 p. 65 sqq.

8) Étude de céramique arverno-romaine, Caën 1887.

I. *Vascula quibus usque ad annum p. Chr. n. fere 50 in provinciis usi sunt Romani.*

A. *Vascula rubra cum italicis congruentia.*

Nitimur vasculis Antunnaci (Andernach) in sepulcris primi imperatorum temporis repertis nonnullisque eiusdem temporis apud Castra Vetera detectis. Sepulcra Antunnacensia exploravit vasaque in ordinem digessit Constantinus Koenen, qua de re accurate atque diligenter commentatus est multis tabulis additis[1]).

Vasa nostra et colore et formis plane congruunt cum italicis. Etiam figulorum nomina eadem inveniuntur atque in Italia velut Bassus[2]) Ateius[3]) Primus[4]) Xanthus[5]). Concludendum est vasorum rubrorum in sepulcris Antunnaci repertorum partem saltem ex Italia apportatam esse.

Formas principales composui in tabula addita. Observanda est vasculorum ornatorum raritas atque uniformitas: Duae tantum horum inveniuntur formae, 19 et 20, quae iam Antunnaci extant[6]) et etiam in castellis dextrae Rheni ripae adiacentibus saepe occurrunt. Sequitur has formas per totum fere saeculum I in usu fuisse. Patella, quam edidit Siebourg[7]), non recte refecta est; fragmenta

---

1) B. J. LXXXVI 148 sqq.
2) Atti dei Lincei ser. IV vol. 5, 188.
3) Exempli gratia c. X 8055, 4—9, 8056, 5, 46—52.
4) Ex. gr. C. X 8056, 279 sqq., C. V 8115, 97.
5) C. X 8056, 397.
6) B. J. LXXXVI t. 6. 16, t. 7. 18.
7) B. J. XCIV t. 3.

non sunt unius vasculi. Talem enim formam, qualem instauravit Siebourg, nunquam equidem inveni.

Formae 1—6. Multa exempla Antunnaci et Castris Veteribus reperta[1]). Iam Arretii hae formae in usu fuerunt; multa huius formae vasa Pompeiis inventa sunt[2]). In castellis supra memoratis desunt. Unum tantum exemplum vidi in castello Saalburg repertum (c. s. BOLLVSFEC); saeculo I p. Chr. n. exeunte igitur non iam in usu fuerunt. Ambitus variatur. Inveniuntur permagnae, quibus figuli nomen ter vel quater impressum est. Fundus ornatur circulo striato tenuiter impresso (fig. 1a). Latus externum interdum parvum ornamentum habet, quale depinxi in vasculo fig. 14.

Forma 7. Rep. Antunnaci cum nummo Antoniae Augustae[3]). Ex Italia unum novi exemplum c. s. SERRAE[4]) in sepulcro apud Ateste repertum (infimus tempore nummus Augusti est). In eisdem officinis in usu fuit, in quibus paterae 1—6 factae sunt; quod testantur nomina figulorum, quae et in forma 1 et in 7 leguntur. Ex hac forma efficitur principalis paterarum forma posterioris temporis (fig. 21). Latus oblique positum paulloque curvatum est. Medius fundus eminet in modum coni.

Formae 11 et 12 semper optime fictae sunt. Quae Augustae Trevirorum extant exempla figuli signaculo carent. Iam Arretii in usu fuerunt[5]). Vas c. s. LMV rep. in sepulcro I p. Chr. n. saeculi[6]).

---

1) Exempli gratia B. J. LXXXVI t. 7. 37. 39. 41.

2) Quam notitiam debeo Hermanno Schoene amico.

3) B. J. LXXXVI p. 164, t. 7. 43.

4) Atti dell' Accademia dei Lincei ser. IV vol. 5 p. 74.

5) Ut doceor phototypis, quas mea gratia conficiendas curavit Fridericus de Bissing amicus.

6) Atti della societá di arch. di Torino IV 305. t. 21. 13 f.

Formae 13 et 14. Rep. Castris Veteribus cum nummo Caesaris et cum nummo Neronis c. s. PRMV et OFPRM[1]). Alia exempla pulcra extant Augustae Trevirorum et Coloniae Agrippinensi. Pars superior directa ad perpendiculum leniter striata est. Qua in parte in nonnullis exemplaribus ornamentum pusillum impressum conspicitur (fig. 14).

Forma 15. Rep. apud Ateste in sepulcro c. nummo Augusti impressis signis lunae dimidiae et stellae[2]). Idem tempus testantur signacula, quae in exemplaribus duobus Coloniensibus legi ATEI et SOIL.

Forma 16. Num iam apud figulos arretinos usitata fuerit nescio. Extat Pompeiis ibique eadem forma etiam vitro facta[3]). Rep. in sepulcris Castris Veteribus c. nummis Augusti et Domitiani anni p. Chr. n. 88[4]). Etiam Antunnaci occurrit[5]). Eiusdem formae vascula saepissime inveniuntur in castellis transrhenanis itaque certe etiam II p. Chr. n. saeculo in usu fuerunt. Sed minime neglegendum est, quod propter exiguitatem non aeque facile confringebantur itaque nonnunquam diu servabantur. Exemplum afferam quo demonstretur, quamdiu servata sint talia vascula parva: vasculum formae 14 repertum est in sepulcro ad Juslenville cum nummo Antonini Pii[6]); cui vasculo impressum legitur nomen ARDACVS. Ardacum vero I p. Chr. n. saeculo vixisse eo demonstratur, quod habemus pateram eius ornatam formae 19 Antunnaci in ustrina I saeculi erutam[7]).

1) Houben-Fiedler t. II 6 p. 45, t. XV 4.

2) Atti dell' Accademia dei Lincei ser. IV vol. 5 p. 74.

3) Niccolini, case ed monumenti di Pompei, descrizione generale t. XLIII.

4) Houben-Fiedler t. XVIII 5.

5) B. J. LXXXVI t. 6. 17.

6) Bulletin de l'instit. arch. Liègeois IX p. 150.

7) B. J. LXXXVI p. 174 t. 6. 15.

B. Vascula rubicunda.

In sepulcris Antunnacensibus aliud etiam vasorum rubrorum genus invenitur plane diversum et colore et formis ab iis, quae cum italicis congruere dixi. Paterae multo graviores informioresque, latera humiliora et crassiora sunt quam in iis, quas adhuc tractavi. Altum pedem paterarum italicarum desideramus; eius locum argillae circulus fundo agglutinatus tenet (cf. fig. 8 et 9). Poculum (fig. 18) semper pede omnino caret. Facta sunt ex creta rubra. Primus ea a ceteris vasculis rubris separavit Constantinus Koenen, qui ea 'orangerot' nominat [1]). Coloris rubicundi sunt, qui splendore caret. Qui color utrum politura sola superficiei efficiatur (quae Felicis Hettner sententia est, qui egregia commentatione nuper edita quasi fundamentum iecit historiae artis figulorum romanorum) [2]) an colore quodam illito diiudicare nondum audeo. Huius generis non tantum pateras poculaque habemus sed etiam calices magnos urnasque insignis formae. Quae vasa non inveniuntur nisi in sepulcris ante annum fere 60 p. Chr. n. factis semperque una cum iis

C. Vascula e terra nigra facta.

'Terram nigram' proprie appellamus vascula ex subtili creta cana facta nigro colore non refulgente illita. Qui color quomodo effectus sit nondum apparet. A bernice vasculorum in Gallia Germaniaque inde ab II saeculo p. Chr. n. factorum plane diversus est maximeque eo

---

1) B. J. LXXXVI p. 155.

2) Festschrift für Overbeck Leipzig 1893 p. 168.

ab his differunt vascula nostra, quod nostra e creta cana, illa ex creta rubra facta sunt.

A vasculis e 'terra nigra' factis nequaquam separari possunt vascula cana, quae una cum nigris inveniuntur et easdem formas ornamentaque habent. In eisdem certe officinis facta sunt ac nigra, quod demonstratur talibus, quae non tota nigra facta sunt, sed partim cana manserunt.

Statim cognoscitur longe alias formas esse quam italicas vel romanas. Urnae altae procerae cum labro tenui acriter reflexo, urnae ventriosae, quarum pars superior acri margine incurvata est, aperte aereorum ne dicam lamina confectorum imaginem referunt. Quae aeris imitatio augetur etiam colore nigro superficieque optime polita.

Ornamenta linearia sunt. Varios ornandi modos optime exposuit Felix Hettner l. c. p. 170 sq. Acri instrumento inscriptae sunt lineae, quarum binae vel trinae vel plures coniunctae sunt, ut videas eas factas esse instrumento duobus tribusve vel pluribus dentibus instructo. Quae linearum fasciae vel parallelae scariphatae vel decussatim positae sunt[1]). Aliae urnae zonis striatis circumdantur rotula impressis[2]). Zonae aut ad perpendiculum aut oblique striatae sunt aut dividuntur in parva tetragona, quae alternis vicibus a dextra ad sinistram et a sinistra ad dextram striata sunt.

Modo in zona vasis minus polita itaque colore distante a reliqua vasis parte levi bacillo politae sunt lineae,

---

1) B. J. LXXXVI t. 5. 15 et 36, t. 6. 6. 9. Cleuziou fig. 39. Lindenschmit, Altertuemer unserer heidn. Vorzeit I 6, t. 6, 1. 2. 4.

2) B. J. LXXXVI t. 5, 1. 9, t. 6, 5: cum nummis ab August. ad Neronis tempus. Cleuziou fig. 60. 61.

quae splendore suo separantur a zona reliqua minus refulgente[1]).

Ornandi genus ab italico plane abhorret, etiam ornamenta geometrica in italicis vel graecis huius temporis vasis non inveniuntur. Formae quoque vasorum non Romanae sunt. Habemus igitur artem figlinam indigenam Gallorum Germanorumque, quod Lindenschmit primus significavit, cum ea 'romano-germanische' nominaret. Quocum etiam color niger consentit. Similia habemus in sepulcris ad Nauheim detectis, in quibus nullum vas Romanum repertum est[2]), eadem in sepulcris ad Muehlbach repertis, quae romani sane temporis (nam nummus Neronis una repertus est) sed Germanorum sunt; nam in his quoque nullum vas romanum repertum, sed gladii, id quod a Romanorum more abhorret[3]).

Artis barbarae etiam parvi illi umbones sunt ventri vasis agglutinati, quod sumptum est ex arte toreutica[4]).

In nonnullis vasis videmus etiam circulos punctaque tenui liquido argillae luto picta. Quae initia sunt eius ornamenti generis, quod 'en barbotine' nominamus, de quo infra accuratius dissereretur[5]).

Habemus igitur artem figlinam praeromanam sed eruditissimam. Eisdem locis, quibus vasa cana nigraque, vasa rubicunda quoque facta sunt nec ullo modo ab illis separari possunt. Quod demonstratur sigillis paribus figulorum scriptis in nigris et in rubris. Legimus ex. gr. in patera magna rubra Antunnaci rep. ter impressum C·IRVGA, idem

---

1) Hettner l. c. p. 171. B. J. LXXXVI t. 7. 14. 16. Cleuziou fig. 37. 38.

2) Annalen des Vereins für Nassauische Altertumskunde XIV p. 415.

3) W. Z. IV p. 283 sqq. t. 15—18. cf. etiam kunsthist. Atlas, herausgegeben v. d. k. k. Centralkommission I t. 73 et 93.

4) B. J. LXXXVI t. 6, 4.

5) B. J. LXXXVI t. 6, 7; 7, 15. Cleuziou fig. 35. 36.

signaculum in nigro[1]; TORNOS / VOCAR in rubris et in nigris[2]. Quando in usu fuerint haec vascula si quaerimus, acquiescendum est in nigris, quia rubicunda adhuc paene nunquam separata sunt a ceteris vasculis rubris.

Terrae nigrae usum maxime florentem habemus in sepulcris Antunnaci detectis, quae primo I saeculi dimidio tribuenda sunt, et in sepulcris apud Vetera exploratis eiusdem temporis. Multa fragmenta nigra et in castris bonnensibus[3]) et in castello dalheimensi[4]) reperiuntur. Aquis Flaviis, quas verisimile est Vespasiani temporibus conditas esse, unum tantum fragmentum inventum est[5]). Etiam in Britannia raro invenitur[6]). In castellis in dextra Rheni ripa ad limitem sitis plane desunt vascula nigra. Efficitur usque ad annum fere 60 in usu fuisse 'terram nigram'. Itaque ubicumque in ruinis vel sepulcris romanis reperiuntur vascula nigra statuendum est domum aedificatam vel sepulcrum instructum esse ante hunc fere annum.

Restat, ut de locis disseramus, in quibus haec vasa nigra cana rubicunda facta sint. In Italia plane desunt. Maxima pars reperta est in Gallia[7]) et in rhenanis regionibus. Hispanum unum tantum novi exemplum (Q·AE[8]), nisi fortasse arretinum nigrum est; (cf. Q·AF Romae rep.[9])), pauca

---

1) B. J. LXXXVI p. 155 et 160.
2) B. J. LXXXVI, 165. LXXXIX, 55.
3) Fragmenta extant in museo academico bonnensi.
4) Mon. hist. dans Luxembourg 1851/52 p. 121 sqq.
5) Hoelder, Thongefässe v. Rottweil, Stuttgart 1889 p. 5.
6) Smith, coll. ant. vol. II p. 35.
7) C. XII. 5686. Allmer, Inscriptions de Vienne IV. p. 19 sqq.
8) C. II. 4970, 11.
9) A. d. J. 1880 p. 294.

britannica[1]). In Austria non inveniuntur, quod Georgio Loeschcke interrogante affirmavit Masner. Nonnullas officinas Galliae Narbonensi proprias esse videmus, quarum omnia opera ibidem reperta sunt. Talis officina Sevvonis est, cuius omnia vasa ad Rhodanum reperta sunt[2]). Inveniuntur nomina certe Gallica velut SEVVO, VALLO, BVÐÐARVS (scriptum dentali gallica aspirata), TORNOS, FARILOS, quae gallicum nominativi exitum -os habent pro latino -us. Maxima vero nominum pars latina est, quo docemur vascula nigra ibi facta esse, ubi iam nostrae aerae initio valde praevaluerit Romanus romanaque lingua. Formae paterarum nigrarum imitantur formas paterarum rubrarum arretinarum. Eodem modo ut in arretinis signaculum et circulus tenuiter striatus fundo imo impressi sunt. Arretina vasa permulta commercio in Galliam Narbonensem perlata sunt (cf. fig. nomina C. XII. 5686 collecta), in ceteris Galliae partibus et in Germania admodum rara sunt. Itaque credo principales et vetustissimas terrae nigrae officinas fuisse in Gallia Narbonensi, ubi plurima vascula nigra prodierunt. E Gallia Narbonensi interdum etiam in nostras regiones venisse vascula nigra efficitur iisdem sigillis in Gallia Narb. et in Germania repertis (velut ATTALVS C. XII. 5686, 95. ATTAL Antunnaci B. J. LXXXIX p. 51. C. XII. 5686, 594. B. J. LXXXIX p. 54. C. XII. 5686, 718. B. J. LXXXIX p. 54).

Tamen maxima pars vasculorum nigrorum, quae apud nos inveniuntur, certe non huc transportata sunt e Gallia Narb. hisce de causis: primum vidimus non multa nomina tam in Gallia quam in Germania inferiore reperiri; tum figulos gallicos semper fere nominis litteras circulo scribere; quod vasculis in Germania repertis raro accidit;

1) C. VII. 1336, 790.

2) Allmer. inscr. de Vienne p. 20. C. XII. 5686, 831.

signa gallicorum vasculorum semper fere nomen dant, quod intelligas: contra maxima nostrorum pars intelligi non potest et interdum aperte coactae sunt litterae lineaeque plane ex libidine factae, quod in Galliae Narbonensis vasculis nigris nunquam equidem inveni. Imitatur igitur figulus morem figulorum italicorum, qui vascula nomine impresso signabant, sicut etiam circulum striatum fundo impressum imitatur. Conferendum est, quod graeci figuli vascula sua interdum ornabant litteris plane ex libidine compositis omni sensu carentibus.

Concludendum est eis temporibus, quibus orta sint sepulcra Antunnacensia, iam non solum in Gallia Narbonnensi facta esse vascula nigra, sed etiam in alia regione, indeque colonos ad Rhenum habitantes sua vascula nigra accepisse.

Quod ubi factum sit, docemur ni fallor vasculis rubicundis, a quibus profecti sumus, quaeque in eisdem facta esse officinis ac nigra dixi[1]). Videmus enim in his eadem signa inexplicabilia, quae in nigris nostris. Praesertim easdem in his lineas rectas curvatasque ex libidine compositas cernimus, quas in nigris. Talia vero signa non novi nisi ad Rhenum, in Luximburgia, ad Mosellam, in Belgia reperta (ad urbem Namur in sepulcris eiusdem temporis et generis, cuius Antunnacensia sunt. Cf. Ann. de Namur IV p. 90). Est igitur regio haud magna: quam ex una sede vascula sua accepisse testantur multa sigilla paria Aug. Trevirorum et aliis locis reperta velut ACVTO bis Antunnaci semel Aug. Trevirorum[2]), IV·L·IOS ibidem[3]),

---

1) Num etiam in Gallia extent diiudicare nondum possum.

2) B. J. LXXXVI t. V 35 p. 164. Aug. Trevir. in museo no. 3048.

3) B. J. LXXXIX p. 53. Aug. Trevir. in museo descripsi.

TORNOS / VOCARA Antunnaci Coloniae Agrippinensis Castris Veteribus Augustae Trevirorum reperta[1]).

Videmus eadem figulorum signacula et Augustae Trevirorum extare et ad Rheni ripas. Quo adducimur, ut suspicemur vasa nostra a Treviris facta esse. Quod demonstratur figlinis ad Augustam Trevirorum erutis, in quibus vascula nigra et cana et rubicunda reperta sunt, quorum unum signatum est litteris DVRO, quod sigillum redit in vasculis Antunnaci repertis[2]). Certum igitur habemus testimonium vascula Augustae Trevirorum facta Antunnacum perlata esse.

Augusta Trevirorum etiam si loci naturam spectamus optime apta erat, ubi vascula in Gallia Narbonensi primum inventa imitarentur figuli. Nam sita erat in via, quae ducit a Rhodani valle ad Rheni ripam, et celeriter effloruit et brevi tempore ditissima erat urbs illius regionis.

Paucis comprehendam, quae demonstrasse mihi videor. Habemus in I saeculi sepulcris et vasa rubra italica et vasa rubicunda, quae una cum nigris et canis facta sunt in nostris regionibus. Cum vero demonstratum sit vasculorum nigrorum artem e Gallia Narbonensi in nostras regiones translatam esse, verisimile est etiam vascula rubra italica, quae inveniuntur in sepulcris huius temporis, per Galliam Narbonensem ad Rhenum pervenisse, non recta via ex Italia. Quam coniecturam eo firmare possumus, quod multa, quae in vasculis rubris leguntur figulorum italicorum nomina etiam in Gallia Narbonensi extant, velut: Bassus[3])

1) B. J. LXXXIX p. 55. Houben-Fiedler t. 6, 4. Lersch, Centralmuseum I p. 63. Aug. Trevirorum in museo descripsi.

2) B. J. LXXXVI p. 171 sq.

3) C. XII. 5686, 121.

Ateius[1]) Geminus[2]) Maccarius[3]) Xanthus[4]). Maioris vero etiam momenti est, quod in eisdem sepulcris etiam fibulae extant, e Gallia apportatae. Fibulas dico, quas 'gallische Schnallenfibel' nominamus[5]), quae in Italia nunquam inveniuntur, sed extant ubicumque vasa nigra prodeunt. Non desunt Bibracte, quo efficitur eas iam ante Romanorum adventum in usu fuisse[6]). Augustae Trevirorum talis in sepulcro inventa est cum patera rubicunda et urna nigra[7]), ad Fécamp in urna nigra[8]), Remis[9]), Châtelet[10]), Rouen, Equiqueville, Bourgogne[11]), Bavay[12]), una etiam in Britannia meridionali ad Cantabrigiam[13]).

II. De vasculis fulvis habentibus venas rubras.

Transeo ad parvam vasculorum seriem, sed quae maximi momenti esse videatur, vascula dico illita colore fulvo refulgente venis rubris subtilissimis picta. Facta sunt ex creta rubra terrae sigillatae simili. Plurima (8) extant in museo trevirensi, quae omnia in eodem sepulcro in-

---

1) C. XII. 5686, 81 sqq.
2) C. XII. 5686, 383.
3) C. XII. 5686, 509 sqq.
4) C. XII. 5686, 962.
5) Dressel, B. J. XCV.
6) Reinach ap. Daremberg-Saglio, Dictionaire des antiq. s. v. fibula p. 2009.
7) In museo no. 875 sqq.
8) Cochet. Normandie souterraine t. V 48 p. 107.
9) Caylus, Receuil III t. 120, 1.
10) Grivaud, Antiq. gauloises t. 40. 3. 4.
11) Cochet. l. c.
12) Grivaud, Monum. antiques t. 30, 2.
13) Smith, Coll. ant. vol. VII, t. 21 p. 203 sqq.

venta sunt anno 1864 ad urbem Trevirorum una cum duobus guttis aeneis. Sunt vero duae paterae formae fere 5, una formae 6, signatae BOLLVƧFIC, quattuor pocula formae 17, quorum unum praebet sigillum PRIMI, unum vasculum formae 22 cum sig. inexplicabili[1]).

Pateram similem musei Mannheimensis Felix Hettner ibidem memorat, idem duo fragmenta musei Francofurtani, quorum unum in castello Heddernheim repertum esse dicitur; itaque ante alterum I saeculi dimidium id factum esse vix credam. Bene vero accidit, quod unica formae 1 patera rubra in castello Saalburg reperta itaque inter ultima huius formae exempla numeranda eiusdem Bolli nomine signata est (cf. supra p. 9). Vasorum fulvorum aetas mox accuratius definietur. Ubi facta sunt vascula illa insignia?

Plicque in libro laudato[2]), quo vasa ad Lézoux reperta tractavit, duo vasorum colore vitreo (Glasur) obductorum genera discernenda esse putavit. Habemus vasa ex creta alba ficta vel viridi vel fulvo vel fusco colore picta, quae in figlinis Arvernis facta sunt. Nunquam in eis figuli nomen legitur. Plane haec vascula congruunt cum vasculis viridibus in nostris regionibus repertis, de quibus postea, ubi vasa decorata 'en barbotine' tractabo, agam (p. 26). Ab his aliud genus separandum est e creta rubra factum (ut vasa trevirensia) aut rubro colore illita, in quo fuscae sunt venae et puncta, aut fusco, in quo rubrae venae et puncta sunt. In his etiam figulorum nomina leguntur (quae doleo Plicquium non adnotasse). Congruunt haec vasa cum vasculis Augustae Trevirorum repertis. Quod alterum vasorum genus non in Lézoux factum esse Plicque affirmat; auctore Cérès exploratore officinarum Galliae Narbonensis suspicatus est in Gallia meridionali ea facta

1) Inv. no. 105 sqq. Hettner l. c. p. 176.

2) p. 18 sqq.

esse, praecipue in Montans et Banassac (ad Tarnim sitis), ubi talia vascula in officinis inventa sunt.

Quam viri docti suspicionem fulcire posse mihi videor. Nam similia vasa etiam in figlinis Arelate erutis facta sunt, quae Carolus Roach Smith descripsit in hunc modum: Upon a fine yellow body streaked with red: SILVAN — CELEROS — FELICEN · TE — OFVITIALI —[1]). Iterum igitur habemus indicium ex Gallia meridionali iam primo post Chr. n. saeculo et ad Arvernos et ad Mosellam perlata esse opera figlina pretiosa. Sed maius aliquid his vasculis efficiam. Eiusdem generis vascula cum in Sardinia tum Pompeiis reperta sunt eorumque duo eiusdem officinae, quam iam in vasculo trevirensi deprehendimus. Sunt vero haec: duo vascula mus. Neapolitani OF · PRIMI et OF · PRIMVS[2]); vascula ornata Pompeiis reperta fulva rubro sparsa[3]); arr. fulvum cum sigillo ΛIVFI (?) Neapoli in museo et Sassari repertum[4]); VIMFI (?) et RIC//TT (?) Pompeiis rep.[5]); APRIA Neapoli in mus.[6]); CASTVS · FE "in vasculo gilvo cum venis rubris" Caralibus rep.[7]). Accedit vasculum Pompeiis repertum sine figuli nomine[8]) descriptum in hunc modum "piccolissima lagena a due manici con vernice gialla". Habemus igitur eadem vasa semelque eundem figulum Pompeiis et Augustae Trevirorum. Cum vero demonstraverimus talia vascula in Gallia Narbonensi facta esse (id quod et nominibus impressis confirmatur), sequitur iam medio primo sae-

---

1) Smith, coll. ant. VII p. 13 sq.
2) C. X 8056, 283.
3) Mus. borb. vol. XII t. 45. IX t. 44.
4) C. X 8056, 408.
5) C. X 8056, 624; 8055, 55.
6) C. X 8056, 41.
7) C. X 8056, 81.
8) Giornale degli scavi di Pompeii N. S. II Napoli 1870 p. 221.

culo, certe ante annum 79, figlinas Gallicas ita floruisse, ut opera earum etiam in Italiam inferiorem transportarentur.

At dicat quispiam vasa illa inventa esse in Italia indeque primum in Galliam et Augustam Trevirorum translata, postea in Gallia Narbonensi quoque facta esse. Sed vasa trevirensia, quae una reperta sunt, omnia ex eadem regione ad Mosellam venisse nemo negabit. Quorum unum signaculum PRIMI habet, quod redit in Italia meridionali, alia signaculum BOLLVSFIC, id est nomen non latinum[1]). Itaque non ex Italia originem duxerunt. Sequitur etiam quae in Italia reperta sunt non in Italia facta esse. Deinde insignis in vasculis trevirensibus est scriptura FIC pro FECit. Eadem vero forma olim etiam in vasculis Neapolitanis fuisse videtur (ΛIVFI et VIΛΛFI), quorum signacula sane inexplicabilia sunt, sed iterum confirmant et italica et trevirensia vasa eodem loco facta esse.

Unde sumptus sit color horum vasculorum insignis diiudicare nequeo. Fortasse figuli imitati sunt vascula vitrea varii coloris, qualia et Pompeiis et in Gallia saepe inveniuntur et ipsa imitantur vasa e lapidibus pretiosis (achata similibusque) torno trita. In Gallia iam I saeculo p. Chr. n. floruisse artem vitream testis est Plinius (nat. hist. XXXVI 194). Notandum est formam vasculi trevirensis (17) etiam inter vitrea vasa Pompeiis extare[2]).

III. De patellis rubris quibus impressa sunt dicta.

E Gallia Narbonensi vascula in Italiam translata esse iam I p. Chr. n. saeculo primo fortasse obtutu mirum

---

1) Nomen BOLLVS nusquam inveni. conferendum est signaculum, quod legitur in terra nigra $\frac{\text{BOLLO}}{\text{AVOT}}$ mus. trevir. no. 5176 et 3424. cf. C. III 6010, 34.

2) cf. Niccolini l. c. supplemento t. 25.

videtur. Sed aliud afferam exemplum, ubi certius etiam agitur de vasculo gallico Herculanei reperto. Evolvas musei Borbonici voluminis VII tab. 29: delineata est patella e terra rubra sigillata facta Herculanei reperta. Forma eius saeculo II p. Chr. n. usitatissima est (fig. 23), sed hoc vasculo demonstratur eam iam I saeculo inventam esse. Margo superior politus est, sequitur ornamentum ovatum (Eierstab), reliquum spatium bipartitum est. In parte inferiore animalia currentia ficta sunt, in superiore magnis litteris foliis separatis scriptum est: B·I·B·E·A·M·I·C·E· D·E· M·E·O·. Initium dicti caput laureatum significat, quod ex inferiore parte pertinet in superiorem et corona foliorum circumdatum est. Nullum vas simile in Italia indagare potui. Magna vero copia extat in Gallia Narbonensi, ubi omnia quae adhuc nota sunt exempla collecta sunt[1]), praecipue Nemausi Arausione Viennae. Ficta sunt in figlinis ad Montans (Tarn) et Banassac (Lozère) erutis. Vasorum genus habemus artis finibus definitum, quod et uniformitas et loca, ubi inveniuntur, et inscriptiones multae docent, in quibus nominantur gentes gallicae velut: Gabalibus felicit(er), Remis feliciter, Lingonis [felici]ter, Sequanis feliciter etc. Facta igitur sunt in usum Gallorum. Aliae inscriptiones similiores herculanensi sunt: ex. gr. „Veni ad me amica, ospita reple lagena cervesa, bonus puer, bona puella“. Eodem modo quo in herculanensi etiam in gallicis vasculis singulae litterae folio separantur.

Concludere necesse est, vas illud herculanense ex eisdem officinis gallicis Herculaneum deportatum esse. Mos dicta vasculis inscribendi, quo vas quasi loquens fit, non italicus est, sed graecus. Conferendae sunt inscrip-

---

1) Cf. Gaz. arch. III 1877. 172 sqq. (Anatole de Barthélemy).

tiones figulorum atticorum V saeculi, *καλὸς ὁ παῖς, χαῖρε καὶ πίε* similia [1]). Qui mos in Gallia usitatissimus fuit. Habemus nigra illa pocula reperta creberrime in Germania ad Rhenum, sed etiam in Gallia, in quibus picti sunt albo colore pampini et uvae et scripta dicta velut: ave, vale, bibe, da merum, alia [2]). Tum illud quoque vasorum genus conferendum est, in quibus habemus anaglyphum rotundum corona foliorum inclusum, cui aut versus explicans aut optatio aut dedicatio adscripta est [3]). Facta sunt in eadem regione, in qua quae modo tractavi. Plurima reperta sunt Arausione. Temporis videntur esse paullo posterioris, II saeculi. Nam in uno Getae imperatoris effigies conspicitur. Multo deteriora sunt patellis supra tractatis. Videntur haec quoque partim e terra sigillata facta esse, sed e descriptionibus hoc non plane apparet.

Vasa ex Gallia Narbonensi in Italiam translata esse quanti sit momenti facile intelligitur. Iam enim quaerendum erit num aliae quoque res Pompeiis Herculaneive repertae e Gallia apportatae sint. Quod accuratius tractare huius sane loci non est. Unum vero exemplum afferam, quo iterum appareat ni fallor artem gallicam iam primis imperatorum temporibus florentissimam fuisse. Adolphus Furtwaengler egregia commentatione, quam scripsit de vasis aeneis ad Mehrum repertis [4]), adnotavit formam horum vasorum non graecam esse sed ei artis generi propriam, quam 'La Tène' nominamus. Idem demonstravit, plane eiusdem formae vasa cum eisdem ornamentis cum aliis locis tum Pom-

---

1) Cf. Otto Jahn, Vasensammlung König Ludwigs p. CXI.

2) Cf. Otto Jahn, B. J. XIII 105 sqq.

3) Fröhner, Musée de France t. 14 sqq. p. 52sqq. Roulez, Gaz. arch. 1877 p. 66 sqq., t. 12. Héron de Villefosse, Gaz. arch. 1880 p. 178 sqq.

4) Festschrift zum 50jähr. Jubiläum des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande, Bonn 1891, p. 23 sqq.

peiis extare ibique bene internosci posse a vasis graecae vel romanae formae. Habemus igitur officinas primi p. Chr. n. saeculi, quae veteris barbarorum septentrionalium formae vasa fecerunt, quae et in Germania et in Italia meridionali reperiuntur. Quas officinas gallicas fuisse, non italicas, pro certo habeo. Scimus enim in Gallia iam Caesaris temporibus toreuticen floruisse et etiam ornamenta horum vasorum non italicam artem redolent sed certam artis scholam, quae ornamenta graeca barbaro quodam modo mutavit.

IV. De vasculis ornatis.

Tria ornandi genera plane diversa discernenda sunt. Vascula aut anaglyphis ornantur formis expressis aut ornantur 'en barbotine' aut ornamenta quasi incisa sunt.

A. De vasculis ornatis 'en barbotine'.

Quam vocem francogallicam nobisque usitatam servandam esse puto, quia latinam haud inveniam, qua artem illam ita significem, ut quisque quid velim intelligat. Vascula ornata 'en barbotine' ea nominamus, in quibus figulus cornu vel infundibuli genere (interdum fortasse etiam penicillo) luto ex argilla facto figuras pinxit. Qua pingendi vel fingendi ratione necesse est effici quandam figurarum mollitiem. Deest omnis formarum subtilitas[1]).

Vestigia artis similis iam in vasis atticis et italicis V et IV saeculi habemus, in quibus eodem argillae luto

---

1) Hettner l. c. p. 174.

picta sunt foliola serta similia postea inaurata. Sed apparet longe haec distare a nostris. Nostrae vero artis initia habemus in vasculis nigris et canis Antunnaci repertis in iis sepulcris, quorum vascula paullo recentius tempus produnt, id est medium fere I saeculum. In vasculis nigris luto cano picta sunt vel anuli vel puncta parva, quibus formantur figurae catenis similes [1]). Aliorum venter lineis curvatis in modum soleae ferreae tegitur quasi squamis [2]). Talia ornamenta videmus in vasculis nigro colore illitis, quae in Chersonneso taurica inventa sunt II fere a. Chr. n. saeculi [3]). Ortum est hoc ornamentum fortasse ex simili ornamento vasorum megaricorum, ubi interdum totus vasculi venter tectus est foliis in squamarum modum positis. In nonnullis vasculis Antunnacensibus iam agglutinata sunt folia hederae postea usitatissima. In vasculis rubris vero Antunnaci nondum hoc ornandi genus habemus, quia illa rubra tum nondum liberata sunt ab auctoritate artis figlinae italicae necdum barbaricum receperunt ornandi genus. Postea ornamenta 'en barbotine' habemus in vasculis rubris et viridibus et iis, quae nigro colore illita sunt (non ex 'terra nigra' factis). Vetustissimae paterae rubrae ornatae 'en barbotine', quae adhuc novi quaeque certo tempori adscribi possunt, Augustae Trevirorum cum nummo Vespasiani [4]), Castris Veteribus cum nummo Domitiani [5]), in sepulcro britannico (Caves-Inn) cum nummo Nervae repertae sunt [6]).

---

1) Cf. B. J. LXXXVI t. 7. 15, t. 6. 7.

2) Cf. B. J. LXXXVI t. 6. 1. 13, 29, t. 7. 4. Quocum conferas sepulcrum Castr. Vet. erutum cum nummo Tiberii. Houben Fiedler p. 46.

3) Ex. gr. Arch. Anz. VI 19. 9.

4) Inv. no. 3732.

5) Houben-Fiedler t. 18, 2.

6) Smith, Coll. ant. vol. I t. 17 p. 35.

Factae igitur sunt non ante alterum I p. Chr. n. saeculi dimidium. Eodem fere tempore ornamenta 'en barbotine' etiam in viridibus vasculis apparent.

Vasa viridia ex argilla alba facta esse in figlinis arvernis altero saeculi I dimidio usque ad annum fere 120 Plicque[1]) affirmat. Equidem paullo diutius ea facta esse crediderim, quia inveniuntur etiam cum nummis Hadriani. In sepulcris antunnacensibus medii fere saeculi I habemus quidem vasa viridia, at nondum ornata 'en barbotine' sed ornamentis formis expressis[2]). Eodem fere tempore haec vasa viridia ornantur 'en barbotine' ac vascula rubra, id est altero saeculi I dimidio, eodemque tempore, quo efflorescunt figlinae arvernae. Nonnulla vasa viridia servantur in museo bonnensi. Quae ita congruunt cum vasculis, quae describit Plicque, ut ea apud Arvernos facta esse crederes, nisi dicerent Aus'm Werth et Klein[3]) haud procul a Bonna in figlinis vestigia inventa esse, quibus demonstretur ibi quoque postea vasa viridia facta esse. Supellectilem aeneam et formis et colore et saepe etiam ornamentis imitantur haec vasa, quod apertissimum est, si conferas pateram ex longo rotundam musei bonnensis cum eiusdem musei pateris aeneis: congruunt etiam singula ornamenta subtilissima quasi incisa[4]). Idem cadit in guttum musei trevirensis repertum cum nummo Hadriani[5]), qui aperte imitatur guttum aeneum. Quod luce clarius est, si ansam subtiliter striatam et persona agglutinatam aspicis.

'En barbotine' etiam vasa ex creta alba facta ornata

1) l. c. p. 18 sqq.

2) B. J. LXXXVI t. 6. 20. 21.

3) Cf. B. J. LXXIV p. 152. B. J. LXXXIV p. 118. Cum vasculo ibid. t. 4 delineato conferendum est vasculum simile mus. Borbetomagensis.

4) Lindenschmit, Centralmuseum t. XXV. 28. Aus'm Werth, B. J. LXXIV p. 149.

5) Hettner l. c. 169.

sunt colore fusco vel nigro illita, quae maximam partem formam poculorum habent frequentissimaque sunt in sepulcris II saeculi[1]). Tum adsciscenda etiam pocula nigra, quibus pampini inscriptionesque impictae sunt denso albo vel fulvo argillae luto.

Vasa ornata 'en barbotine' inveniuntur in Gallia Germania Britannia, etiam in Vindelicia[2]). In provinciis orientalibus rariora sunt: museum vindobonense duo tantum huius generis vascula possidet, quorum unum Carnunti, alterum fortasse non in Austria inventum est. Parvum vasculum formae 24 ornatum foliis hederaceis nuperrime repertum est in tumulo ad urbem Anstetten, sed tam fuse describitur, ut appareat inventum esse in illis regionibus rarissimum[3]).

Vasa ornata 'en barbotine' in Italia non inveniuntur. Gallicum igitur inventum est. Quocum congruit, quod formae quoque vasorum, in quibus apparent haec ornamenta, eae ipsae sunt, quae in Italia desiderantur et tum demum apud nos inveniuntur, cum apparent vasa Gallica. Ornamenta 'en barbotine' habemus in formis 24, 25, 26, in marginibus vasc. 27, 28, 29, tum in poculis, quorum forma tempusque congruunt cum poculis ex creta alba nigro colore illita factis, quae supra memoravi (cf. fig. 30)[4]). Primo saeculo poculis utebantur formae patellarum parvarum cum fundo angusto, ore lato. Iam alta pocula habemus, quarum infima pars latior est superiore (cf. fig. 30). Quae forma non italica est sed indigena deducta a forma urnae veteris e terra nigra factae[5]).

---

1) Cleuziou p. 240 fig. 171, p. 241 fig. 173 p. 242 fig. 174.

2) Hefner, Oberbayr. Arch. 22 t. 4.

3) Mitteil. d. praehistor.-hist. Commission d. Kais. Academie, Wien 1893, p. 171.

4) Lindenschmit, Centralmuseum t. XXV. 11.

5) B. J. LXXXVI t. 5, 21, t. 7, 11.

In pateris ornatis 'en barbotine' interdum (sed non saepe) nomen figuli impressum est.

Novi haec exempla:

ABBOFE [1])
AMMIVSF [2])
ΛVIIIO //
COBVNA (formae 24)
COSTVTVS
EVRETVS (formae 25) [3])
FRONTVNATVS (sic!) [4])
IVVENISFEC [5])
MARTIALIS [6])
MINVTVSF (formae 24) [7])
PATRVINVS [8])
QVARTINVSF (formae 25) [9])
SATVRIOF (formae 25) [10])
VICTORINVS (formae 25) [11]).

Consentaneum est non multa ornamenta apta esse, quae hoc modo fiant. Saepissime occurrunt folia hederae

---

1) Coloniae Agrip. in mus. formam vide B. J. LXXXIV t. 2, 1.

2) Rep. ad Juslenville, Bull. Liègeois IX p. 151.

3) Spirae in mus.

4) B. J. LXI. 123.

5) rep. ad Bingerbrück.

6) rep. ad Dahlheim, Mon. hist. dans Luxembourg 1851/52.

7) Col. Agrip. in museo.

8) B. J. LXXXIX p. 33.

9) Col. Agrip. in museo.

10) Spirae in mus.

11) Spirae in mus.

similia et pampini[1]). Animantium finguntur lepores capreae canes currentes interdum etiam homines (venatores gladiatores bestiarii). In vasculo Spirae servato conspicitur piscis monstruosus, in alio, quod ibidem extat pavo[2]).

Quod ornandi genus unde depromptum sit quaeritur. Crediderim figulos imitatos esse vasa vitrea, quibus agglutinata sunt ornamenta non forma effecta sed liquefacta imposita. Cui arti aptissima est forma foliorum: folium glebula est agglutinata, pediculus longus obliquus filum vitreum est ductum donec rumpitur. Conferas velim vasa vitrea pompeiana Mus. borb. V t. 13, 12. 13; Niccolini l. c. suppl. t. XXV, descrizione generale t. 83. Concedes non dissimilia ea esse nostrorum. Cum poculis nigris albo ornatis compares eiusdem temporis vasa vitrea, quibus agglutinata sunt fila flava et caerulea[3]). Ornamentis vitro liquefacto effectis etiam formae molles animalium aptae sunt. Tum haud neglegendum est ornamenta 'en barbotine' facta saepissime occurrere in poculis lagoenis calicibus, id est in iis formis, quae etiam e vitro fingebantur. Aperte vitreum vas imitatur calix mus. spirensis[4]), deinde Cleusiou p. 195, 196, 258, 259. Artis vitreae est, si totum vas quasi spinis tectum est[5]). Notandum est etiam alio modo figulos imitatos esse vitrea vasa. Exempli gratia poculorum nigrorum latera videmus in rugas artata esse[6]), eodem modo, quo saepisssime in vitreis accidit. Quod non posteriore demum tempore factum est, sed iam occurrit in vitris pompeianis[7]). Vasa nigra cum ornamentis albis

---

1) Cf. exempli gratia Cleuziou p. 214 sq. p. 222 sq.
2) Lindenschmit, Centralmuseum t. XXV 8. 10.
3) Cf. exempli gratia B. J. XXXIII t. 3.
4) Lindenschmit, Centralmuseum t. XXV, 8.
5) Cf. B. J. LXXXVI t. 7 no. 47. Cleuziou p. 216.
6) Cf. Cleuziou p. 225, 244, 245.
7) Cf. Mus. borb. V t. 13 no. 14.

saepe habent formam vasorum sphaericorum cum colle in infundibuli formam redacto, quae in eisdem saeculi III sepulcris admodum frequenter etiam e vitro facta occurrunt.

B. De vasculis cum ornamentis incisis[1]).

De artis modo tractatae origine fortasse dubitet quispiam. Nulla dubitatio vero esse potest, unde originem traxerint vascula rubra, quibus incisa sunt ornamenta. Haec enim aperte imitantur pocula vitrea. Quod iam ornamentorum elementa testantur: eadem sunt, quae terendo vitrum facillime efficiuntur, lineae, ornamenta ovata ('Oliven'), ornamenta hordei grani formae. Quibus varie et bene compositis omnia ornamenta fiunt aut geometrica aut folia sertave imitantia. Apparet hanc artem cretae minime aptam esse itaque certe non a figulis inventam esse. Ornamentorum singulorum incisorum margines diligentissime poliendi erant, ne aspectus, quem efficere voluit figulus, turbaretur. Contra vitro duro aptissima est, nam vitri quod deteritur instrumentis, statim defluit nec agglutinatur aliis locis, ut argilla mollis.

Sed etiam formae vasorum vitreorum sunt. Borbetomagi in museo pulcherrima est lagoena hoc modo ornata; Spirae vas extat ornamentis incisis decoratum plane eiusdem formae ac vas ornatum 'en barbotine', quam iam supra vitrei imitationem esse dixi (p. 29 adn. 4). Forma usitatissima poculum parvum hemisphaericum sine pede cum parvo labro est (31). Eadem centies e vitro facta extat.

Cui tempori tribuenda sint haec vascula docemur sepulcris. Reperta sunt in sepulcris ad Neuville le Pollet,

---

1) Cf. Klein, B. J. LXXXIV p. 109, tab. 2.

quae alterius saeculi sunt[1]), in castello Saalburg (facta gitur ante annum 250); in sepulcris Rigomagi detectis (III saeculi)[2]). Accedit poculum singulare rep. Antunnaci in sepulcro III exeuntis vel IV saeculi[3]).

Quibus cognitis iam nullum attribuemus momentum nummo Neronis, qui cum vasculo a Josepho Klein edito[4]) repertus esse dicitur; quod mercatoris dictum aut falsum est aut nummus iam vetus erat, cum vasculo adderetur. Nam non solum vasa hoc modo decorata primo saeculo frustra quaerimus, sed etiam eiusdem formae vascula sine ornamentis posteriori demum tempori propria sunt; multa inventa in sepulcris III et IV saeculi, in eisdem vero etiam eiusdem formae vitrea vascula permulta. Denique adnotem omnino vasa vitrea ornamentis incisis ornata posterioris temporis, III IV saeculi esse videri[5]).

Vascula nostra certe neque omnia ex eadem officina originem duxerunt neque omnia eiusdem temporis sunt; nam et operis elegantia et colore satis differunt. Optima sunt vasculum musei universitatis bonnensis (no. 484) tenuissimum, lagoena, quae est Borbetomagi, vascula B. J. LXXXIV t. 2. 3 edita. Vasculum Rigomagi repertum malam posterioris temporis artem indicat.

Quibus de causis etiam ubi singula vascula huius generis facta sint diiudicari nequit, praecipue cum nunquam figuli nomen eis impressum sit. Id tantum notandum est, haud ignotam hanc quoque artem figulis arvernis fuisse. Cf. vas a Plicquio editum, cuius margo ornatus est orna-

---

1) Cochet, Normandie souterraine t. II p. 71 sqq.

2) B. J. LXXXIV 110.

3) B. J. LXXXVI t. 10 no. 33 non recte delineatum.

4) B. J. LXXXIV p. 109.

5) Cf. Froehner, Verrerie antique t. 22. 93. 94. B. J. LIX t. 5. 6. B. J. LXXI t. 6 extr.

mentis incisis. Repertum est in figlina Asiatici. Facta esse videntur talia vascula etiam in figlinis Augustae Trevirorum detectis, ubi etiam fragmentum nigrum cum ornamentis incisis repertum esse Georgius Loeschcke mecum communicavit. Inveniuntur talia vasa in Germania Gallia Britannia. Praeter eis quae supra attuli confer etiam Hefner Oberbayr. Arch. 22 t. 4. 11. Cleusiou p. 189 sq. Smith. Illustr. roman London p. 93.

Vita.

Natus sum Joannes Fridericus Ludovicus Guilelmus Dragendorff Megalopolitanus Dorpati Livonorum die XV mensis Octobris a. h. s. LXX patre Georgio, qui ibi professoris munere fungitur, matre Sophia e gente Spohn, quibus gaudeo superstitibus. Fidem profiteor evangelicam. Litteris institutus sum Dorpati in Gymnasio Friderici Kollmanni viri egregii praeceptoris carissimi, qui graecis litteris me imbuit et cui permulta me debere grato animo profiteor.

Maturitatis testimonio instructus autumno a. LXXXVIII universitatis Dorpatensis civis factus sum. Hieme a. XC Berolinum, hieme XCI Bonnam migravi, ubi huc usque studiis philologis et archaeologis operam dedi. Docuerunt me viri clarissimi Hoerschelmann Loeschcke W Masing Mendelssohn Leo Meyer Ohse Saget de Schroeder Wiskowatow Dorpatenses, Diels Furtwaengler Hirschfeld Kekulé de Treitschke Berolinenses, Bethe Brinkmann Buecheler Elter Justi Kueppers Loeschcke Martius Nissen Usener Wiedemann Bonnenses. Buecheleri Elteri Useneri beneficio in seminarium regium philologorum receptus sum, cuius per ter senos menses sodalis fui ordinarius. In seminarium historicum benevole me admisit Nissen. Exercita-

tionibus ut interessem benigne concesserunt philologis Bethe Buecheler Diels Hoerschelmann Mendelssohn, epigraphicis Buecheler et Hirschfeld, archaeologis Furtwaengler Kekulé Loeschcke, sanscriticis de Schroeder.

Quibus viris omnibus gratiam habeo quam maximam, in primis vero Buechelero Eltero Usenero Bonnensibus. Georgius Loeschcke quanta semper erga me fuerit benevolentia quantumque studiis meis faverit nunquam obliviscar.

Sentententiae controversae.

I. Eur. Med. v. 906:

κἀμοὶ κατ' ὄσσων χλωρὸν ὡρμήθη δάκρυ.

legendum est: *θερμὸν ὡρμήθη δάκρυ.* cf. schol. *γράφεται δὲ καὶ θερμόν* et v. 923 ubi recte scribitur *χλωρόν.*

II. Eur. Med. v. 1026 sq.:

πρὶν λέκτρα καὶ γυναῖκα καὶ γαμηλίους
εὐνὰς ἀγῆλαι λαμπάδας τ' ἀνασχεθεῖν

scribendum est cum Bothio:

πρὶν λέκτρ' ἀγῆλαι λαμπάδας τ' ἀνασχεθεῖν.

III. Jamblichi protr. cap. VII (p. 43. 15 sqq. ed. Pistelli) *βέλτιον γὰρ δεῖ τὸ τέλος εἶναι τοῦ γιγνομένου, οὐδὲν δὲ βέλτιον εἶναι φρονήσεως* delendum est alterum *εἶναι.*

IV. ibid. cap. XI (p. 56. 22 sqq. ed. Pistelli) *εἰ τοίνυν τῷ μὲν αἰσθάνεσθαι τὸ ζῆν διακρίνομεν καὶ τὸ μὴ ζῆν, τὸ δ' αἰσθάνεσθαι διττόν, κυρίως μὲν τὸ χρῆσθαι ταῖς αἰσθήσεσιν ἄλλως δὲ τὸ δύνασθαι (διόπερ φαμὲν αἰσθάνεσθαι καὶ τὸν καθεύδοντα λέγοντες ὡς ἔοικε)* ..... scribendum *ὅπερ* nec lacuna cum Vitellio statuenda est.

V. ibid. cap. XX (p. 100. 24 sq. ed. Pistelli) *εἰ γὰρ καὶ τοιοῦτός τις εἴη ὡς οὐκ ἂν γένοιτο* . . . scribendum est *ὅς.*


VI. Distributionem frumenti publici Romae vicatim factam esse docent inscriptiones praefecti urbi IV saeculi exeuntis (Bull. della commissione arch. communale 1891 p. 342 sqq.), in quibus qui contra disciplinam romanam panem sibi vindicare consueverant vicatim enumerantur.

VII. Amazonis statuae, quam edidit Arndt (corpus statuarum no. 172), archetypon vel eidem artifici tribuendum est, cui Venus genetrix quam nominamus (verisimile Alcameni), vel sectatori eius.

VIII. Quam nuper protulit sententiam Theodorus Reinach de Acragante toreuta (Revue arch. 1894 p. 170 sqq.), quem numquam vixisse demonstrasse sibi visus est, plane falsa est.

IX. Puellae saltantes calathum ferentes (velut Atti del' accademia dei Lincei ser. IV vol. 1, t. 1, 2) eiusdem artificis sunt cuius Bacchantes (50. Berl. Winkelmannsprogramm t. I—III). Qui artifex non medii sed exeuntis saeculi V est.

X. Vasa calena quae nominamus non a Calenis inventa sunt. Nam eiusdem generis vasa etiam in Asia minore et in Chersonneso taurica f a c t a sunt.


1.
1a.
2.
3.
4.
5.
6.
7
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29
30.
31.